

## DE NOVATIONIBUS ET DELEGATIONIBUS.

### 8.42.1

*Imp. Alexander A. Quintiano et Timotheo.*

Delegatio debiti nisi consentiente et stipulanti promittente debitore iure perfici non potest: nominis autem venditio et ignorante vel invito eo, adversus quem actiones mandantur, contrahi solet.

*PP. Vid. Febr. Maximo II et Aeliano consss.*

[a. 223]

### 8.42.2

*Imp. Gordianus A. Firmino.*

Ex contractu pecuniae creditae actio inefficax dirigitur, si delegatione personae rite facta iure novationis vetustior contractus evanuit.

*PP. k. Sept. Pio et Pontiano consss.*

[a. 238]

### 8.42.3

*Idem A. Muciano.*

Si delegatio non est interposita debitoris tui ac propterea actiones apud te remanserunt, quamvis creditori tuo adversus eum solutionis causa mandaveris actiones, tamen, antequam lis contestetur vel aliquid ex debito accipiat vel debitori tuo denuntiaverit, exigere a debitore tuo debitam quantitatem non vetaris et eo modo tui creditoris exactionem contra eum inhibere.

1 ¶ Quod si delegatione facta iure novationis tu liberatus es, frustra vereris, ne eo, quod quasi a cliente suo non faciat exactionem, ad te periculum redundet, cum per verborum obligationem voluntate novationis interposita debito liberatus sis.

*PP. Vid. Iun. Gordiano A. et Aviola consss.*

[a. 239]

### 8.42.4

*Idem A. Stratonicco.*

Non abstulit tibi procurator tuus actionem, si, cum ei mandasses exactionem pecuniae, quam hi tibi debebant, contra quos supplicas, parte accepta de reliquo eos liberavit, cum neque contra voluntatem tuam novationem facere neque in eo quod non solvebatur eos liberare potuerit.

*PP. id. Nov. Gordiano A. et Aviola consss.*

[a. 239]